Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 815
Quelle:
Copyright:

Codex.	Editio
Cum multorum mihi.	*Cum Disertorum mihi.*
meis meritis.	*veris meritis.*
per moram non committitur.	*per moram non comitur.*
furiosa contentionum.	*furiosa intentionum.* al. *contionum.*
cura circumuallat.	*cura circumvolat.*
honoris gratiam.	*honoris gratia.*
solos spei labores.	*solos labores.*
Regum consilia quin etiam.	*Regum quin etiam.*
ut ita dixerimus.	*ut ita dixerim.*
sapere uideatur.	*serpere videatur.*
potentibus aulicis.	*Potestatibus aulicis.*
aliqua contingit.	*alia contingit.*
promissa resignent.	*promissæ resignent.*

Non deesse ejusmodi diversitates per decursum Operis facile Lector statuet

II. *fol.* 100. p. 2. *Incipit liber Cassyodori de anima.* Ita: *Cum iam suscepti operis optato fine gauderem, meque XII. voluminibus iactatum* &c. Igitur Liber hic ordine etiam temporis XII. *Variarum* Libros sequitur, non XII. *Historiae Tripertitae*, quos concinnavit serius; meminit enim hic in Praef. *Praeceptorum Regum, quae nuper agebantur*, quo loco mendose Codex *augebantur*, probae ceterum lectionis, et, quemadmodum *Variae*, notulis, glossis, correctionibus per margines adspersus.

CCCLXVII.

U.171 Codex membraneus lat. Sec. XII. et XIII. Folior. 86. f. eleganter scriptus, et rubricis ornatus, olim pertinens *ad Sanctam Mariam Gotwich*, sive Coenobium O. S. *Bened.* hujus nominis in infer. *Austria*, ubi fortassis *Joh. Alexandro Brassicano* jussu *Ferdinandi* Regis a. 1528. Monasteriorum Bibliothecas obeunti adhaesit; ejus enim manus in margine *fol.* 25. visitur, ab eo demum ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* delatus inscribitur: *Liber Cassiodori Senatoris*, et incipit: *Cum Studia secularium literarum magno desiderio feruere cognoscerem* &c. Habemus igitur inclyti hujus Sec. VI. Scriptoris, e Regum Aula in Coenobium suum *Vivariense* ingravescente aetate digressi *Institutiones Divinarum Literarum*, quas in *Operum* ejus Editione *Rotomag.* 1679. f. *Joh. Garetius* T. II. p. 537. exhibet. Et Textus quidem noster egregie cum Impressis procedit; observo tamen uno *Praefationis* loco et Codices *Garetii*, et ipsum Editorem ab eo emendari. Cum enim illi male legerent: *Hinc consequitur, ut otiose doceam*, et hic substituisset: *ut ocyus edo-*